Zur Vorfeier

des

Geburtstages Sr. Majestät des Königs

und zu der mit derselben verbundenen

Entlassung der Abiturienten

am 19. März,

sowie

zur öffentlichen Prüfung

aller Classen des Elisabet-Gymnasiums

am 17. und 18. März 1869

ladet

die Beschützer, Gönner und Freunde des Gymnasiums
und des Schulwesens überhaupt

ehrerbietigst ein

Dr. Karl Rudolf Fickert,

Rector zu St. Elisabet.

---

1. Exercitationes metricas
epistola ad collegas data commendavit earumque usum specimine addito illustravit
Rudolfus Künstler.
2. Schulnachrichten. Vom Rector.

Breslau, 1869.

Druck von Grass, Barth und Comp. (W. Friedrich.)

I. EPISTOLA AD COLLEGAS DATA.

Si decus Ausoniae linguae retinere studetis,
Si cupitis recte verba latina loqui:
Cura sit a teneris vatum cognoscere scripta;
Eloquii fontes hos sciat esse puer.

Philippus Melanthon.

Quo meliore queam tutari me duce quemque
Auctorem potius sequar, ac te, clare Philippe,
Dum vilemque levemque artem defendere conor
Contra spretores et commendare novandam
Assiduo cultu? Dico artem versificandi.
In silvam non ligna feram vesanius, ac si
Quid, qui praecipue Praeceptor in omnibus audis
Germanis terris, tibi disciplina salutis
Debeat, enarrare velim conatibus impar.
Sed prodi testis locuples et digne, sequamur
Quem cuncti, quibus est cordi formanda iuventus,
Ipse tuisque proba verbis te versificando
Posse iuventutem formari non sine fructu
Persuasisse tibi.[1]) Te fretus laetius ad rem

---

[1]) „Die Stunde Vormittags soll man bei der Grammatik bleiben, damit die Schüler darin sehr geübt werden. Und wenn sie Etymologiam und Syntaxin wohl können, soll man ihnen Metricam vorlegen, dadurch sie gewöhnt werden Verse zu machen. Denn diese Uebung ist sehr fruchtbar, Anderer Schrift zu verstehen, machet auch die Knaben reich an Worten

Accedam; tibi me debere fatebor aperte,
Si quid praesidii dedero iurisque clientae
Arti: absens ades et mihi das in carmina vires.
    Ac bona pars collegarum, qui versificandi
Despiciunt artem: Studium quid inutile tentas?
Quaesierit; non est nostrum formare poetas.
Nam quotus est iuvenum, cui mens divinior et sit
Ingenium, sine quis virtutibus esse poeta
Vere nemo potest? Videamus, quo ferat istos
Error, inutile quod studium sit, quidque velimus
Tantum discipulos sibi quaerere versificando.
Ingenue fateor nunquam sperasse poetas
Me formaturum: recte concludere versum
Est aliud, divis aliud placuisse Camenis
Atque sacerdotem Musarum praesidis esse.
Quae tamen utilitas condendis versibus insit,
Accipe, ne post immerito convicia fundas.
    Quicquid agunt homines, summa est lex lucidus ordo,
Qui rerum dat cuique suum tempusque locumque,
„Aeque neglectus pueris senibusque nocebit".
Quid? Simplex ratio si vincat versificando
Ordine discipulos assuescere? Membra poetae
Disiecti pueris da — sunt elementa pusilla
Haec artis; — puerosque iube concludere versum:
Quae sit cuique prosodia, quae sint tempora verbo

---

und zu vielen Sachen geschickt." Visitationsbüchlein v. J. 1528. (Corp. Reform. vol. XXVI p. 49—96.) Hunc vero librum esse Melanthonis, non Lutheri Christianus Pansch probavit. (Melanthon als Schulmann. Eutin 1860. p. 5.)

Praeterea cf. epist. quam Melanthon ad Eobanum Hessum dedit (Corp. Reform. vol. I. p. 573) in qua haec leguntur: „Ich predige es beständig in den Vorlesungen, dasz die Poesie eine Schülerin der Beredtsamkeit und fast ieder ächten Bildung sei. Meine Privatschüler wenigstens treibe ich fleiszig an, Verse zu machen und nicht blosz das, sondern bisweilen gehe ich ihnen mit dem Beispiele voran, obgleich ich ein schlechter Dichter bin".

Quaerere cogentur, quis cuique locus tribuendus,
Ut numeros versus per iustos currere possit,
Ut versu toto servetur lucidus ordo.

Quid? Praeceptorum legumque prosodiacarum —
Des veniam verbo! — magnam vim quomodo censes
Aptius et potiore via perdiscere posse
Discipulos, quam si iubeantur condere versus?
Nam quid proficiunt leges vanae, nisi certus
Usus adest una, melior quo nemo magister?
Quid vero teretes odiosius occupet aures,
Quam si quis falso producat corripienda
Producendaque corripiat? Nil vatis Horati
Refert an recitet Ciceronis verba polita.

Sed sunt virtutes leviores versificandi,
De quibus hactenus haec; iam maxima prodeat et quae
Spretores artis valeat placare sua vi.
Nempe reluctari cumprimis non sine causa
His exercitiis metricis sibi magna videtur
Pars collegarum, quod sermo purus et ille
Urbanus color et dicendi vis Ciceronis
Servari nequeat, dum versus condere discant
Discipuli; sed abest tantum, haec ut possit obesse
Ars, ut promoveat purum vereque latinum
Sermonem, ratio sit dummodo sana magistri.
Nec video, cur non spernendos esse poetas
Omnino putet ista cohors, quum sit metuendum,
More poetarum iuvenes ne dicere discant!

Est duplex ratio linguae sua cuique: poetas
Multa audere iuvat, quae spernat sermo pedester.
Quis vero linguam vere callere latinam
Dicere se possit, Ciceroni quid placeat, qui
Norit quidque probet Caesar, non noverit idem,
Quid Patavinus amet, sibi quid Sallustius audax
Sumat quamque novent divini verba poetae

Dicendique genus, quos aurea protulit aetas
Augusti, quid sint ausi Senecae Tacitique?
Hi quicquid licitum voluerunt esse, negabis
Concessum nobis, imitari quos decet illos
Nocturna et versare manu, versare diurna,
Indolem et ingenium si noscere rite velimus
Ausoniae linguae? Neu credas forte genus me
Dicendi mixtum, quod nulla suum queat aetas
Dicere, discipulos docturum, percipe — quaeso —
Quo rem deducam. Si vis sermone pedestri
Scribere discipulos de quolibet argumento,
Jure tuo posces sermonem, Caesaris et qui
Sit Ciceronis par; — quamquam desiderium hoc quis
Non videt esse pium! — sed da, quam versibus aptis
Materiem tractent: merito tu liberiores
Concedens nisus fructus largos capies, si
Discipulis trades, quid sit discriminis inter
Sermonem vinctum numeris interque solutum
Atque viam monstrabis, ubi, quae carmine digna
Sint, reperire queant uti discantque repertis.
Non melius reor, ingenium quod cuique suum sit
Scriptorum, penitus pernosci posse iuventae,
Quam si cogitur et fontes gustare palato
Ipsa suo et re testari, quid iuverit ille
Haustus. Verborum fructus non est mediocris
Copia, quem capiant tirones, hac ratione
Si metricis exercitiis operam dare cogis,
Ut semper testes locupletes edere possint,
Si quid liberius sint ausi dicere, sintque
Armis instructi, quis se defendere possint,
Ut non ignorent, prosae quid postulet usus.
Iam satis est: paucis haec argumenta probasse
Si mihi contigerit, sat habebo. Testibus uti,
Qui mecum faciant atque arti versificandi

Permultum tribuant, quamquam multis mihi fas est,
Ne longum fiat, iam singula nomina mittam.
Unum hoc quaesierim, sine causa num videantur
Acriter huic arti se dedere velle Britanni [1])
In ludis pueros hodie quoque: ni foret illis
Utilitas artis re cognita, spreta iaceret!
Qua pueri ratione queant ad versificandi
Artem deduci ludibundi, — nam mihi fari
Ambitione relegata docto licet usu
Me semper fructus dulces cepisse laboris
Deliciasque meras; navant plerique libenter
Impigreque operam delectanturque profecto
His exercitiis metricis nec proficiunt nil; —
Iam paucis dicam. Simul est ut tradita versus
Hexametri ratio et Nasonis noscere formas
Mutatas pueri coeperunt, da fere [2]) dicunt
Quos perturbatos versus, numeris potiantur
Qui iustis iterum. Cura sententia plana
Et simplex sit; erit semper vel maxima virtus,
Si puerorum animos eadem iucunda tenebit.
Deinde iube pueros, ut noscant, quod sit ineptum
Aptum quodque decus, primaria nomina versus
Appositis ornare suis; subtilius hac re
Et fit iudicium vis ingeniique cietur.
Nec mora: progrediaris; ad hexametrum suus alter
Accedat versus, quo fiant disticha plena,
Accedat quicquid Latii tribuere poetae

---

[1]) cf. Dr. L. Wiese, Briefe über Englische Erziehung p. 55. et Tom Brown's Schuljahre. Von einem alten Rugby-Jungen. Nach dem Englischen des Th. Hughes bearb. v Ernst Wagner, Gotha 1867 p. 77 et 221 sqq.

[2]) ferĕ Auson. epigr. 105. 5.

Dactylicis numeris brevioribus.[1] Inde patebit
Mox exercitiis metricis campus satis amplus.
Nam vates ipsi iam praebent,[2] unde queamus —
Nos opus est ipsos operam conferre magistros
In versus concludendos, ne maius onus sit,
Quam quod ferre queat quamvis studiosa iuventus; —
Mutatis numeris versus concludere, largam
Materiem et facilem. Quid enim? Sua verba poetae
Nobis suppeditantque supervacuum faciuntque
Qui „gradus“ a nobis fere dicitur „ad Parnasum“.
His fundamentis artis levioribus actis
Quaenam materies et idonea sit facilisque,
Unde queant iuvenes componere carmina iusta,
Quaerenti mihi nulla magis quadrare videtur,
Quam si nostrates quicquid cecinere poetae
Lustrantes circumspicimus, quae carmina vatum
Esse latinorum videantur proxima rebus
Seu verbis. Quid debuerint illustribus illis
Vatibus Ausoniae nil attinet edere testes
Nostrates: testes sunt ipsi. Copia detur
Discipulis cognoscendi, divina poesis
Quam semper constet sibi, quam Schillerus et omnes
Quos colimus vates nostrates, sint similes et
Coniuncti vinclo quodam cum vatibus illis
Priscis Ausoniae, quam sint illos imitati.
Ergo censebo nostratia carmina iure
Posse dari, iuvenes ornent quae veste latina
Seu numeris iisdem, seu mutatis, feret ut res,

---

[1]) cf. quae hac de re disputavit Carolus Kiesel, doctissimus vir. („Ueber metrische Uebungen“. Vortrag auf der 5. Versammlung von Lehrern höherer Schulen der Rheinprovinz. Jahrbücher für Philologie und Paedagogik. 1866. p. 93, 94.)

[2]) Equidem doctrinae metricae elementa discipulis ita tradere soleo, ut, qui in primum ordinem gymnasii ascendunt, quae Horatianorum metrorum ratio sit, iam perspectum habeant.

Dummodo monstretur via semper idonea; nam pro
Indole diversa nostrae linguaeque latinae
Illi parendum est praecepto vatis Horati:
„Non verbo verbum curabis reddere fidus
„Interpres"; modo sit semper sententia salva.
Ut vero liqueat, nostratia quomodo credam
Carmina nos versus facientes posse iuvare,
Vobis, collegae, metricorum exercitiorum,
Qualia discipuli duce me consuere patrare,
Proponam specimen. Sed ne sumpsisse mihi me
Credatis nimium, videar neu velle docere
Vos ipsos doctos linguaeque utriusque peritos:
Usum tironum tantum supplere volunt, quae
De metrica breviter re dixi quosque citavi
Testes; haec eadem consuevi suppeditare
Discipulis. Sed quod nostratibus addere vatem
Ausus sum, quo nil melius maiusque Britanno
Parnaso dedit aut dabit unquam divus Apollo,
Vos aliud fido facturos esse perite
Judicium, quam qui quondam vehementer in istos
Collegas est invectus, qui vertere ab imo
Gymnasium cuperent, quod „barbara verba Britanni
„Tradere discipulis vellent commentaque vana".
Barbara Caesar erat nobis laudata legenda!

Restat, ut ingenue grates de pectore promam
Illis,[1]) consilio qui me iuvere benigno
Alloquioque suo: quibus haec sunt qualiacunque
Arridere velim. Quod versibus haec mea pauca
Includi volui, res versiculos dedit ultro.

---

[1]) Inter quos vereor ne plurimum debeam Reinhardo Stern, viro doctissimo, qui quid his exercitationibus metricis tribuendum esset diserte exposuit. (Ueber lateinische Versification auf Gymnasien, Hamm 1855.)

II. SPECIMEN EXERCITATIONUM METRICARUM.

Metrum A. 3.

AD EBERTUM.

(Sec. Fridericum Theophilum Klopstock.)

In miseros luctus species, Eberte, nitente
Me fugat atra mero.
Ante potens scyphe, me frustra relevare sereno
Niteris [1]) alloquio.
Flere et abire mihi fas est; fors lacrima mitis
Tristitiam expediet.
Prudenter natura dedit mortalibus aegris [2])
Vos, lacrimae, socias.
Ni vos essetis, mala si sua flere nequiret,
Quam toleraret homo!
Flere et abire mihi fas est: species mea tristis
Me vehementer agit.
Ergo fuere [3]) omnes? omnes, Eberte, sodales
Sacra sepulcra premunt? [4])

---

[1]) Nep. Pelop. 2. et Ov. ex Ponto 3, 4, 34.
[2]) Verg. Aen. II. 268.
[3]) Verg. Aen. II. 325.
[4]) Hor. Od. I. 4, 16.